

Rex excelsus, regum omnium dominator et rector, qui mundum pugillo continens, sapientia fundavit terram et stabilivit celos prudentia, cuncta solus ordinans et disponens celestia et terrena, sic omnia, que alto et archano consilio simul ab eterno providit, mira per discursus temporum circumspectione proficit et dispensat, ut nec erroris nec defectus senciant detrimentum, cum omnia fecerit in numero, pondere et mensura¹. Et licet nichil in terra faciat vel permittat fieri sine causa, humane tamen sapientie ratio non solum in vestigandis operum eius causis deficit et succumbit², verum etiam ipsorum operum magnitudinem vix sufficit admirari³. Cum enim incomprehensibilia sint divine dispositionis iudicia et investigabiles eius vie, non est, qui possit invenire operum Domini rationem, eo quod scrutator maiestatis, dum alciora se querit⁴, opprimitur⁵ a gloria⁶, et accedente homine ad cor altum, altissimus Deus alcus exaltatur⁷, quin immo deficiunt et omnino desipiunt scrutinium perscrutantes⁸. Ideoque licet non simus vel esse velimus circa discussionem divinatorum operum curiosi⁹, ne videamur velle plus sapere, quam oportet¹⁰, ex eo tamen in admirationem rapimur et stuporem, quod Dominus, qui ecclesiam suam a primordio mundi per labencium temporum vices ineffabili semper providencia gubernavit, quandoque in eius regimine prefert dignioribus minus dignos et in solio Petri, quo nichil honorificentius est in terris, interdum collocat humilem de pulvere suscitatum¹¹, ut in plenitudine potestatis regat et iudicet¹² orbem terre, sicut diebus istis de nobis a Domino factum est, et mirabile in oculis nostris existit.

Sane felicitis recordationis U[r]bano papa¹³ predecessore nostro VI. nonas Octobris a carnis vinculo absoluto et ad eternam, ut speramus, patriam feliciter evocato, ac eius corpore post ipsius exequias sollempniter celebratas in ecclesia sancti Laurentii¹⁴ de Perusio honorifice, prout decuit, tradito sepulture, XX¹⁵ fratres nostri, omnes vide-

1) Vgl. Sap. 11, 21. 2) Es folgt 'et' Hs. 3) Corr. aus 'ad murari' Hs. 4) Vgl. Eccli. 3, 22. 5) 'opprimatur' Hs. 6) Vgl. Prov. 25, 27. 7) Psalm 63, 7. 8) Ebenda 63, 7. 9) Vgl. Eccli. 3, 22. 24. 10) Vgl. Rom. 12, 3. 11) Vgl. 1. Reg. 2, 8. 12) Corr. aus 'videlicet' Hs. 13) Urban IV. † 2. Oct. 1264. 14) Vgl. Mur. SS. III, 2, 405. 15) Vor XX steht in der Hs. noch eine Ziffer, die wie eine verunglückte X aussieht. Vielleicht ist die ganze Zahl entstellt; so viel wir wissen, haben damals nicht mehr als 18 Cardinäle am Conclave theilgenommen, vgl. oben S. 367 N. 1. Höchstens könnte man etwa denken, dass Clemens hier ungenau die Gesamtzahl seiner Collegen genannt und auch die beiden abwesenden Cardinäle mit eingerechnet habe.